Fautor summus

137

Nondum.
741

S. P. Reverende, Clarissime ac Singularis Vir,

Ut has ad te properarem, desideravit Rev. et Cl. D. D. Diestius, collega honorandus. Filium habet juvenem egregium, ob indolem et mores et profectus cum patri tum omnibus notis probatissimum, quem tibi in disciplinam dare magnopere cupit. Priusquam autem mittat, avet cognoscere, qua ratione quam saluberrimo pretio illic honeste studiosis vivatur, et numquid ei hospitem bonum ac fidum designare possis, quaeque alia ipse, opinor, tecum latius. Atque ego propemodum ineptus, qui huic rei intervenio. Sed non potui negare roganti viro optimo, quem colo et observo, ut te certiorem facerem, quicquid in illius gratiam non modo egeris, sed et dixeris scripserisve, id me quoque beneficii accepti loco habiturum. D. Heidanum, τὸν σεβασμιώτατον, ni grave est, plurimum velis meo nomine salvere. Vale cum omni familia et in Ecclesiae Dei bonum atque commodum felix et hilaris, diutissime vive. Daventriae XI Kal. April. CIƆIƆCLIII.

Reverendae Dignitatis tuae
observantissimus

Johannes Fredericus Gronovius

Reverendo, Clariſſimo et Eximio
Viro D. Johanni Coccejo SS. Theo:
logiæ Doctori et Profeſſori cele:
berrimo in Academia Lugdunenſi
Domino et Fautori ſuspiciendo.

Lugdunum Batavor